



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Alexandro VII. Pont. Opt. Max. Ad Fabium Chisium Episcopum
Neritonensem, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

ALEXANDRO VII.
PONT. OPT. MAX.

Calendis Januariis An. M. DC. LXVI. felicitatem precatur.

CUR Musa longo defides silentio,
Aurata quondam docta fila tangere
Citharæ loquacis? quin Alexandro novis
Jani Calendis dona depromis nova.
Aut digna Majestate si tanta nequis
Afferre, vota nuncupans sollemnia
Pro re Latina, proque gente Chisia,
Quot vere flores educat Favonius,
Æstate aristas flava quot numerat Ceres,
Autumnus & quot pingit uvas purpura,
Frondes quot altis decutit silvis hyems,
Felicitatis tot precare Maximo
Donis refertos vehat Alexandro dies
NUMERIS HIC ANNUS ABSOLUTUS OMNIBUS.

A D

FABIUM CHISIUM
EPISCOPUM NERITONENSEM,

*Innocentii X. Pont. Opt. Max. cum potestate Legati de latere Nun-
tium, & Pacis inter Europa Principes conciliandæ Mediatorem,
Monasterii Vestphalorum, cum auctor illic per astatem ageret.
An. M. DC. XLVI.*

FABI, sinistro jam nimium diu
Depræliantum numine Principum
Delecte pacator, suumque
Orbis in exitium ruentis

¹ Omnes literæ numeralés, quotquot sunt in Alphabêto Latino, ordine in his
M. DC. LXVI. exhibentur.

118 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.

Spes fida, nec non Palladis, ac novem

Decus Sororum, perge tuis, precor,

Suadere Musis, aureamque

Exilio revocare Pacem.

Gaudent amoris foedere mutui

Pax & Camenæ. Tuta placet quies

Utrisque, nullo classicorum

Rupta sono, tonitruque belli;

Et quæ sacrarum Cecropis arcium

Regina claris præsidet artibus,

Utrisque communes olivæ

Vendicat ingeniosa Pallas

Cum Pace ramos. Tam bene convenit

Cum Pace doctis Vatribus, & Tibi,

Quem prima fulgentis metalli

Secla jubet renovare Pacis

COLUMBA¹ miti germine Palladis;

Quem signa QUERCUS inclyta CHISIAE

Ramis decussatim ligatis

Vincla monent reparare Pacis.

Quin ergo nostris finibus ad Getas

Martem repellis: nam Deus omnibus

In nos obarmavit nocendi

Artibus, insidiisque Martem,

Lethumque, & atris Esuriem genis,

Et pone scissis Tisiphonem comis

Subire jussit, cladibusque

Innumeris cumulare clades.

¹ Insigne domus Pamphiliz, ex qua ortus Innocentius X.

Non ante Virtus oppida, non agros
 Cornu revifet Copia divite,
 Non ante Strages, & Malorum
 Mille procul fugient catervæ.
 Quis pace gaudet sanguine civium?
 Quis pace luget militiæ gravis
 Tributa? vicorumque mœstis
 Funeribus, viduisque campis
 Illacrimatur? nec potius mero,
 Cantuque curas & fide Teia
 Sub hospitali fallit umbra,
 Qua vitreæ fuga ludit undæ,
 Aut qua jocosis lene Favoniis
 Impulsa quercus garrula proximam
 Quercum salutat, sub virenti
 Tristitiam tumulat sepulchro?
 Tunc læta culmis arva feracibus
 Stipata rumpunt horrea frugibus,
 Nostraque mercator Batavus
 Messe suas onerat carinas.
 Tunc uva certat plurima purpuræ,
 Pomisque vinctus tempora mitibus
 Autumnus ad plenum beatas
 Fundit opes avidis colonis.

